





126

DE  
I O V E  
H O S P I T A L I  
P R A E F A T V S

---

AD  
ORATIONES  
*BENEFICIO SCHOLASTICO*  
DESTINATAS  
DEBITA OBSERVANTIA  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

FREIBERGAE,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXVI.

**Q**uo loco homines peregrini atque exteri habendi sint, non solum mandato diuino a) atque exemplis sacris b) docemur, sed lex etiam naturae ac gentium idem demonstrat. Ex quo enim mortales varias ob causas coacti fuerunt, terra patria relicta, loca extranea petere, aduenae initio hospitium sibi expetuerunt, postea adfinitate cum indigenis sese coniunxerunt, et inde sodalitates, consuetudines et commercia ortum traxerunt, quae multum ualent ad genus humanum cum conseruandum tum amplificandum.

Et, quo sanctior religio hospitii esset, homines profani singularia Numina comminiscabantur, quae hospitibus, aduenis, et peregrinis praecessi, curam illorum sustinere, et iniuriarum illatam grauissime ulcisci, statuebant. Hoc nomine *Venus Hospitalis* celebrabatur, cuius mentionem CICERO facit, Coelium his uerbis compellans: c) *huic tanto facinori tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua demum hospitalis illa Venus adiutrix esse non debuit.* Porro *Mineruam Hospitalem* Pausanias commemorat. d) Neque Apollinem, Castorem, et Pollucem deorum hospitalium numero excludendos esse, illi hymni sunt indicio, qui in honorem illorum decantari solebant. e) Et LIVIUS plurimum deorum hospitalium meminit, mortem Hannibalis his uerbis exponens: f) *Hannibal, quem se à Prusia, Bithyniae rege, hospite suo, nefarie proditum animaduersisset, execratus regnum caputque eius, et hospitales deos, uiolatae fidei testes inuocans, poculum ueneni, quo mortem sibi confisceret, exhaesit.* Consentit OUIDIUS, anserem, quem Baucis et Philemon hospitibus adponendum alebant, ita describens: g)

*quem dis hospitibus domini mactare praeabant.*

Omnium autem maxime IOVEM HOSPITALEM singulari cultu ueteres prosequabantur, persuasi, hunc peregrinos non solum certo praesidio et fauore complecti, sed etiam eos grauissima uindicta persequi, qui illis uim inferrent, uel hospitium denegarent. Id quod non minus Graecorum, quam Romanorum testimonio luculenter constat.

Ita enim PLUTARCHVS suam de hoc argumento sententiam exponit: h) *Ἐπιε Διος πολλὰν τιμὰν καὶ μεγάλαν, h. e. Multi et magni sunt honores Iouis Hospitalis:* et alio loco: i) *Ἐπειὸν καὶ ἱερέων ἀδικίων ὁ Ἐπιεὺς Ζεὺς ὑπαικείη κολάσῃς, i. e. Iupiter hospitalis, isque iudex, audit hospitum esse supplicium iniurias.* Idem APPOLLONIVS sentit: k)

*ZEVS*

a) Exod. XXII, 21. Leu. XIX, 34. Deut. X, 18, 19.

b) Gen. XII, 10.

XIX, 9. XXVI, 3.

Deut. XXVI, 3. Exod. II, 22. VI, 4.

c) Orat. pro

M. Coelio. Cap. 21.

d) in Corinth. 3.

e) Scholiast. Pindar. in

Olymp. 3.

f) Decad. IV, L, 9.

g) Metamorph. VIII, 685.

h) lib. de exilio.

i) in Erot.

k) Argonaut. 3.

Zeus Ζηνος ἱεστησι τε χειρὶ ὑπερθεῖς, h. e. *Iupiter peregrinis et suppli-*  
*cibus manum præstat.* Nominatim Athenienses peregrinum iam aduentantem  
hospitiõ excepturi, fidem suam his verbis dabant; l) εἰς Δία Ζηνὸν ἀμαρτυρεῖν,  
ἢ ἡ περιεργῶ Ζηνος, h. e. *si hospites offendero, reus sim Iouis Hospitalis.* Hoc  
exemplis et illustribus et plurimis HOMERVS confirmat, in iis inprimis libris,  
quæ fata et facta Vlyssis exponunt. Iam enim Telemachi singularem hospi-  
taliãtatem describit, qua Mineruam exceptit: m)

Χαίρει, Ζηνε, παρὶ ἀμμι Φιλῆτασ, h. e. *salve hospes! à nobis amice tra-*  
*staberis.* Iam Nestoris eiusque filiorum humanitatem in peregrinis excipien-  
dis celebrat, qui paratus erat n)

Ζηνος Ζηνίξεν, ὅς τις ἐμα δαμαδ' ἱκῆται, i. e. *ad hospites suscipiendos,*  
*quicumque ad se venient.* Iam Menelaum, egregium hospitalitatis exemplum  
præbentem, in medium adducit: o) et iam prolixis verbis narrat, quanta fa-  
cilitate Calypso Vlyssen aduenam receperit, p) Idem poëta Iouem Hospi-  
talem semel iterumque vel testem vel præsidem vel vindicem rerum gestarum  
adducit. Vlyses enim, ad antrum Polyphemi delatus cum sociis, huic non  
solum rogabat, ne sibi hospitium denegaret, sed etiam, si renueret, ad Iouem,  
hospitum neglectorum ultorem certissimum, prouocabat. En eius verba: q)

ἰαίμεθ', ἐπι ποροῖς Ζηνῆιον ἢς καὶ ἄλλως  
δαῖς ὄτων, ἢτε Ζηνων θεμῖς ἐσμ,  
ἀλλ' αἰδοῖο, φοβῆτε, θεος, ἱκῆται δὲ τοι ἐμμεν,  
Zeus δ' ἐπιτημητῶρ ἱετῶων τε Ζηνων τε  
Ζηνος, ὅς Ζηνοισι ἀμ' αἰδοῖοισι ὄπηδα. h. e. *supplicamus, si quod*  
*donum hospitale vel aliud præbere velis, quale hospitibus dare fas est. Sed,*  
*optime, vereere deos, quia tibi supplices sumus, et Iupiter Hospitalis ultor est*  
*hospitum et supplicum, qui verecundis hospitibus præsto est.* Et eadem religione  
Nauiticaa, Alcinoi filia, ad Vlyssẽm, qui peregrinus accedebat, excipiendum, per-  
monebatur, dicens: r)

προς Διος εἰσιν ἅπαντες  
Ζηνοί τε πτωχοί τε. h. e. *in Iouis tutela sunt omnes peregrini et*  
*pauperes.* Eidẽm Ioui Hospitali Vlysses beneficentiam Eumæi remunerandam  
commendabat, à quo multa cum humanitate exceptus fuerat, his verbis eum  
compellans: s)

Zeus τοι δοῖν, Ζηνε, καὶ εἰδανῶτοι θεοὶ ἄλλοι,  
ὅ, τῆ μαλῖς' ἐθέλεις, ὅτι με προφρων ὑπεδέξω. h. e. *o hospes, Iupiter,*  
et

l) Eustath. in Hõmer. Iliad. Δ.

o) Odyss. Δ. 25.

r) Odyss. Z. 207.

m) Odyss. A. 123.

p) Odyss. E. 160.

s) Odyss. E. 53.

n) Odyss. Γ. 355.

q) Odyss. I. 267.

*et alii dii immortales dent tibi, quod maxime vis, quia me propense excepisti.*  
Cui Eumaeus pari fere humanitate respondebat: 1)

Ζεὺς, ἔ μοι θεμὺς ἐς' ἔ δ' εἰ κακῶν σέθεν ἔλθοι,

Ξεῖνον ἀτιμησάη. h. e. ὁ hospes, etiam si peior te veniat, fas mihi non esset, hospitem honore debito priuare.

Et quum idem Vlysses in Aegyptum venisset, Aegyptiis hunc peregrinum occidere volentibus rex resistebat, cuius rei causam pōeta addit: u)

ἀλλ' ἀπο κείνος ἔρυκε, Διὸς δ' ὠπιζέτο μῆνιν

Ξεῖνις, ὅτε κακίστα νεμεσσάται κακὰ ἔργα, h. e. ille rex eripuit, nam verius est iram Iouis Hospitalis, qui talia mala opera vehementer vlciscitur Vbi deinde ad Eumaeum redibat, hic eam ob causam illum recipiendum exiustimabat, ne Iouem Hospitalem ad iram prouocaret. Ita scilicet eum alloquebatur: w)

ἔ ἴνυ τεινέ' ἔγω σ' αἰδήσομαι, εἴδε Φιλητώ,

ἀλλὰ Δία Ξεῖνον δεύτας. h. e. ego non propterea te honorabo et diligam, sed ex reuerentia erga Iouem Hospitalem. Inprimis autem Polyphemum, hominem inhumanum, et erga peregrinos inimicem, Vlysses grauitur obiurgat, dicens: x)

Σχετλή, ἔπει Ξενοῖς ἐχ' αἴζο σὺ ἐν οἴκῳ

ἔδεμεται, τῷ σέ Ζεὺς τίτατο καὶ θεοὶ ἄλλοι, h. e. ὁ infelix, quia non verebaris hospites tua in domo deuorare, ideo Iupiter te vltus est atque alii dii. Neque silentio preces Menelai sunt praetermittendae, quibus Iouem hospitalem rogabat, vt Alexandrum, hospitem ingratum, vlcisceretur. Ita vero ille: y)

Ζεὺ πάτερ, ὅς τίσαοδάη, ὁ μὲ προτερός κακ' ἔργων

Διὸν Ἀλεξάνδρον, καὶ ἔμης ὑπο χερσὶ δαμάσσει,

ἔφρα τις ἐργίγησσι καὶ ὄψιγοιαν αἰθρωπῶν

Ξεῖνοδοκον κακὰ βέξω, ὁ κεν Φιλοκτήτα παραρχῆ. i. e. ὁ rex Iupiter, da vlcisci, qui me prius iniuria adfecit, nobilem Alexandrum, eumque meis sub manibus doma, vt omnes etiam posteri timeant, hospitem iniuria adfscere, qui amicitiam praestiterit. Hanc enim ob causam Graeci perfidos Troianos summa cum indignatione execrabantur, quod non

Ζηῶς ἐριβερμετῶ χαλεπὴν ἐδδάσατε μῆνιν

Ξεῖνις, ὅτε ποτ' ὑμῖν διαφθερεσι πολὺν αἰτήν, i. e. Iouis valde tonantis iram timuerant, altam eorum urbem aliquando destructuri. z) Et hoc consilio HOMERVS monet: \*)

αἰδέσθε

t) Odyss. Σ. 66.

u) ibid. 283.

w) ibid. 388.

x) Odyss. I. 478.

y) Iliad. Γ. 351.

z) Iliad. N. 624.

\*) in Epigrammate in Nautas.

*αἶδεις Δε Ζηνὸς Τηνὸς σεβας ὑψιμεδοντος,  
δειν γὰρ μετοπισ Ζηνὸς Διὸς, ὁ κ' ἀλιτηται.* h. e. Reueremini cul-  
tum Iouis Hospitalis, quia grauis est ira eius, quum aduersus eum peccatur.

Non solum vero Graeci Iouem Hospitalem tanta religione veneraban-  
tur, sed Romani etiam omni cultu eundem prosequerantur. Hac mente ad  
hospitum usum non minus priuatas domos destinabant, quam aedes publicas  
iis adsignabant. Imo ad urbis commendationem atque ornamentum quam  
maxime pertinere, existimabant, si peregrinantes et aduenae liberali hospicio  
fruerentur. Quam in sententiam CICERO, est, inquit, a) *valde decorum, ho-  
minum illustrium domos hospitibus patere, rei publicae autem est ornamento, ho-  
mines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.* Quid? quod  
Roma ab initio sui imperii patria communis fuerit virorum bene meritorum,  
ex vniuerso terrarum orbe confluentium, neque vlli, quamuis peregrino et  
aduenae via ad summam dignitatem praeccluderetur. Namque experientia docuit,  
plures externos quam Romanos Romae imperasse: quam in rem poeta qui-  
dam ita stomachatus cecinit:

*Hospitibus mater, natis est Roma nouerca:  
Plena dat externis vbera, sicca suis.*

Et hic hospitum cultus apud Romanos, sensim creuit, partim, ne hu-  
manitatis expertes uiderentur, partim ne praeter spem atque opinionem deos  
repellerent, quos legerant atque audierant aliquando sub specie hospitum et  
peregrinorum, humana forma indutos, in mundo uersatos fuisse. Sic enim  
de Ioue OVIDIUS: b)

*Hic Deus humana iuorat sub imagine terras:  
et iterum Iouem et Mercurium idem fecisse testatur: c)  
Iupiter huc specie mortalis, cumque parente  
Venit Atlantiades, positus caducifer alis,  
Mille domos adiere, &c.*

Hunc autem Iouem Hospitalem peregrinos non tantum in tutelam  
recipere, sed etiam acerbissimis suppliciis eos castigare, qui hospitii iura vio-  
larent, persuasum sibi habebant. Ita CICERO, regem Deiotarum defendens,  
quem caedis Caesari intentati accusauerant, hunc publico in confesso his uer-  
bis alloquitur: d) *si palam te interemisset, omnium in se gentium odia non  
solum, sed etiam arma conuertisset; si veneno, Iouis Hospitalis numen nunquam  
celare potuisset.* Alio vero loco de Ioue Hospitali ita disputat: e) *dum Iouem  
optimum*

a) Offic. L II § 8

b) Metam. I 213.

c) Metam. VIII. 626.

d) Orat. pro Decot. c. VI.

e) de Fin. L. IV.

optimum maximum dicimus, eumque salutarem, statorem atque hospitalem, hoc  
intelligi volumus, hominum salutem esse in eius tutela. Et idem ad Q. Fratrem  
de consule Appio ita scribit: f) non faciam, ut illum offendam, ne fidem Iouis  
Hospitalis ille impleret. Sic apud VIRGILIVM g) Dido libatura his verbis  
Iouem Hospitalem inuocat:

*Iupiter, (hospitibus nam te dare iura loquuntur.)  
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis  
Esse uolis.*

Atque huic Ioui Hospitali singulare templum fuisse consecratum, ex eo  
cognoscimus, quod Antiochus, sacra Iudaeorum illufurus, templo in monte  
Garizim posito nomen Iouis Xenii dedit, quod in litteris sacris his verbis in-  
dicatur: h) *Ἐξαπέτελε μόλιαι τον ἐν Ἱεροσολυμοῖς νεων, καὶ προσονομασῆ  
Διος Ὀλυμπίου, καὶ τον ἐν Γαριζῶν, καὶ δὲ εἰς τυγχανον οἱ τον τοπον οἰκοντες Διος  
Ζεῦς.* Quo maior autem dignitas Iouis Hospitalis erat, eo turpior illius erat  
abusus, quam nempe Cypri incolae, immanitate infames, ante portas urbis  
aram collocarent, Iouis Hospitalis nomine insignitam, et peregrinos sacra super  
illa facturos, misere trucidarent. Quam inhumanitatem OVIDIVS his verbis  
refert: i)

*Ante fores horum stabat Iouis Hospitis ara,  
Lugubris sceleris. Quam signis sanguine tinctam  
Aduena vidisset, mactatos crederet illic  
Lactentes vitulos, Amathusiacaeque bidentes;  
Hospes erat caesus.*

Quanta autem gratia et benignitate Iupiter Hospitalis eos adiciebat,  
quos hospitales cognouerat, tanta acerbitate in eos animadvertebat, qui ho-  
spitii iura vel frivole negligebant, vel irreligiose violabant. Quis animo non  
commouetur, legens, quantum sceleris rex Arcadiae, Lycaon, tentauerit, et quan-  
tas idem poenas luerit? Quum enim Iupiter inhospita huius tyranni tecta  
ingressus esset, non solum consilium capiebat eius in somno opprimendi,  
sed etiam epulas humanis ex carnibus paratas illi adponebat. Qua immanitate  
Iupiter irritatus regiam istius domum fulmine exurebat, regem autem in hu-  
pum commutabat. k) Quis absque horrore legit, quanta inhumanitate rex  
Thraciae, Polymnestor, filium Priami, Polydorum, suae tutelae commissum,  
occiderit. Quod dum poeta enarrat, iura hospitii pessime elusa recte exfe-  
cratur, his verbis factum exponens: l)

- capit

f) Epist. ad Q. Fabr. L. II, Ep. 12.

g) Aen. I. 731.

h) 2. Macc. VI, 2.

i) Metam. X, 224.

k) Ovid. Metam. L. I, 163, sqq.

l) Ovid. Met.

XIII, 436.



capit impius ensem  
rex Thracum, in iuguloque sui desigit alumnū.  
Quae VIRGILIUS repetens, addit; m)  
Fas omne abrumpit, Polydorum obruncat, et auro  
Vi potitur.

Neque immerito istae domus infames habebantur, in quibus hospitii iura violata, et Iupiter Hospitalis neglectus fuerat. Hac mente pater ille filium suum etiam atque etiam adhortabatur, ne hoc crimine contaminaretur, his utens verbis: n)

Per si quid superat vitae, per iura parentis,  
Perque tuam nostra potioem, nate, salutem,  
Abstete inceptis, oro, ne sanguine cernam  
Polluta hospitii.

Et digna omnino sunt, quae hoc loco repetantur, CICERONIS verba, quibus in Verrem, hospitii violatorem, et Iouis Hospitalis contemtorem inuehitur: o) pater aderat Dextio Tindaritanus, homo nobilissimus hospes tuus, cuius tu domi fueras, et quem hospitem adpellaueras. Eum quum illa auctoritate et miseria videres praeditum, num te eius lacrymae, num senectus, num hospitii ius atque nomen ad scelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit? Sed quid ego hospitii iura in hac immani bellua commemorare? qui absentem hospitem suum in reos retulerit?

Ex his igitur, quae de Ioue Hospitali diximus, patet, quanta olim dignitas hospitalitatis apud Graecos et Romanos fuerit. Neque tamen exillimandum est, alias gentes hac a virtute omnino fuisse alienas. Namque de Gallis DIODORVS SICVLVS testatur: p) erga maleficos atque hostes crudeles, erga hospites autem mites sunt atque humani, peregrinis autem omnibus hospitii ultro offerunt, hospitalitatisque officii inter se certant. Et Haeduos CAESAR adfirmat q) sua virtute, amicitia et hospitii plurimum valuisse. Inprimis vero hac laude veteres Germani celebrantur, qui DIODORO teste, r) hospites violare, fas non putant, qui, quacunque de causa peregrini ad se veniant, ab iniuria prohibent, sanctos habent, iisque omnes domus patent, ut victus liberalis communicetur. Idem suo testimonio FACITVS confirmat his verbis: s) conuictui et hospitii non alia gens effusus indulget: quemcunque mortalium testis arcere, nefas habetur, et pro fortuna sua quisque adparatis epulis eos excipit.

Quod si vero hac humanitatis laude homines profani adeo excelluerunt; quid illis faciendum erit, qui, exemplis sanctorum excitati, à diuino veritatis

m) Virg. L. III. Aen. 55. n) Sil. Ital. L. XI. 334. sqq. o) Orat. V. p) Lit. V.  
q) de Bell. Gall. L. I. c. 31. r) Lib. V. s) de morib. Germ. c. 21.

veritatis magistro ad hoc pietatis exercitium atque officium instituti, et mandatis grauiissimis sunt commonefacti, ad hanc virtutem, quanto fieri potest, studio excolendam? Et quoniam in scholis publicis maxima pars eorum, qui discendi causa accedunt, ex peregrinis atque aduenis constat, habent illi omnino, de quo sibi gratulentur, quum illis officinis traduntur, in quibus et menti et corpori consulitur. Qua fama scholam Freibergensem iampridem floruisse, praeclara illa legata et pia, vt vocantur, causae testantur, quas maiores, suam gloriam ex recte factis metientes, eo consilio industriis litterarum cultoribus destinarunt, et pia animi religione sanxerunt, vt adolescentibus felicis ingenii honaeque indolis, sed a fortuna offensis, aliquo modo subueniretur, neque honesti illorum conatus per egestatem sufflaminarentur. Et quum haec inter monumenta beneficentiae legatum BARTHOL. IAENICHIUM, viri dum viueret, de republica meritissimi, et post fata etiam cum honore nominandi, merito referatur, nos iure auiuersariam illius memoriam hoc mense recolimus, qui Bartholomaei nomine in fastis insignitur.

Ad quod officium rite exsequendum tres iuuenes, qui hac in schola convictu et hospitio liberali aluntur, neque tamen hoc beneficium ad Ionem hospitem, sed ad Iouam, omnis boni auctorem et datorem, referunt, cras, si Deus fuerit, finitis ante meridiem sacris, breuibus orationibus habendis suam pietatem publice testatam facient. Et quidem

IO. FRIDR. TITTEL,

*Tautenbavn Misa.*

carmine elegiaco, Latinis verbis concepto, *detestabile ingrati animi vitium* repraesentabit. Quem excipiet

CHRISTIAN GOTTLIEB RICHTER,

*Rüßsaina Misa.*

Romano sermone, eoque pedestri, *inhospitalitatem gentium barbararum* ex rerum gestarum annalibus in scenam producturus. Et tandem

IO. GOTTFR. BOERNER,

*Burcardsdorf-Misa.*

verbis Francogallicis *de differentia, quae inter scriptores recentiores atque antiquiores intercedit*, perorabit.

Vos itaque, MECAENATES et STATORES litterarum, itemque PATRONI ac FAVTORES, qui iustum studiis scholasticis pretium statuitis, hospites gratiosissimos et gratissimos, hac tabula inuitamus, vt cras, hora nona audita, ad audiendos tirones nostros beneuole accedere, et tam scholam nostram exoptata Vestra praesentia cohonestare, quam eorum conatus propensa auscultatione subleuare velitis. P. P. *Freibergae*. a. d. XVIII. Aug.

A. R. S. MDCCLXVIII.

Yb 627

22

ULB Halle  
001 508 164



3

(811148)

TA-204

VD 18







126

DE  
I O V E  
H O S P I T A L I  
P R A E F A T V S

---

AD  
O R A T I O N E S  
*B E N E F I C I O S C H O L A S T I C O*

D E S T I N A T A S  
D E B I T A O B S E R V A N T I A  
I N V I T A T

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

FREIBERGAE,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXVI.

